

"Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae ~~comprehendant~~ comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadit. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis" (Io 12, 35.36). Quae quid significant neque obscurum est neque dubium. Qui enim S. Ioannem legit et cogitat corde, et ipse perspicit et S. Ioannem perspexisse perspicit quod, sicut e tenebris conscientiae procedunt mendacia, et odia, et peccata, et iudicium, et mors, ita ex interiori luce procedunt veritas, et dilectio, et bona opera et resurrectio, et vita. ~~Quod si ex hac ambivalentia et dualitate humana ad principia pura et prima ascenditur, tunc sicut e propriis mendax diabolus mendacium dicit, ita etiam e propriis Pater verax verbum verum dicit~~ Quod si haec ambivalentia et dualitas humana quasi in componentia resolvitur, quid remanet nisi lux in qua nullae sunt tenebrae (1 Io 1, 5) et, alia ex parte, tenebrae sine luce. E propriis ergo diabolus mendax mendacium dicit. E propriis Pater verax verum verbum dicit. Illud tenebrarum est; hoc lucis purae. Quod si haec veri verbi processio eiusque ~~regulae~~ exigentiae consciae obiectificantur et ad regulas reducuntur, habetur illa ars vel scientia logica et definitur homo *ζῷον λογικόν*, seu rationale animal. De qua arte vel scientia, de qua definitione, de processu analogico ex homine in diabolum concipiendum et Deum, nihil dixit Ioannes. Sed cum rem optime sciverit, nomen graecum adhibuit ut scriberet: *ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος.*